

impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum praemium a conditore Domnium<sup>1</sup> omino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur reverentia vestra postulavit a nobis, quatenus huius<sup>2</sup> apostolicae autoritatis nostrae privilegio confirmare deberemus tam ipsum venerabile monasterium sanctae Dei genitricis Mariae dominae nostrae, quam et omnes res eius immobiles, hoc est domos, cellas, ecclesias, villas, terras, vineas, prata, silvas cum omnibus adiacentiis et pertinentiis eorum una cum familiis utriusque sexus atque salinas et omnia alia, quae a piis imperatoribus et regibus vel ab aliis Dominum timentibus in eodem venerabili monasterio collata sunt, quanta vel qualia nunc ad ius eusdem monasterii vos tenere videmini, sicuti in praecepto Caroli quondam gloriosi imperatoris continere videtur. Unde fieri scriptum suggestioni vestrae decrevimus et a praesenti tertia indictione per huius nostrae apostolicae confirmationis privilegium roboramus, stabilimus et in perpetuum nostra apostolica autoritate confirmamus praedictam abbatiam eiusdem beatae et intemeratae Dei genitricis semperque virginis Mariae dominae nostrae et omnes praedictas res suas immobiles, id est domos, cellas, ecclesias, villas, terras, vineas, prata, silvas, per comitatus et diversa loca constitutas cum omnibus pertinentiis et adiacentiis eorum una cum familiis utriusque sexus, quanta vel qualia ad ius et salarium sanctissimi monasterii vel ad utilitatem abbatis seu monachorum ibidem Domino famulantium a christianissimis hominibus collata sunt, quemadmodum in ipso regali praecepto continetur, et quae a modo ibidem Domino adiuvante collata fuerint, confirmantes, statuantes apostolica censura sub divini iudicii obtestatione et anathematis interdicto<sup>3</sup>, ut nulli umquam magno vel parvo hominum liceat, quamlibet forsiam vel oppressionem in omnibus eius rebus facere aut potestatem aliquam habere vel aliquem distringere aut quaecunque teloneum ab eis exigere, sive ad placitum eos ubicumque pro quibuscunque causis provocare praesumat, nisi in ipso monasterio causae illorum audiantur et regulariter finiantur. Et volumus, ut tam tu et successores tui quam omnes monachi salvi et illesi consistent cum omnibus familiis eorum sine alicuius laesione vel depraedatione. Si quis autem quod non optamus contra hoc nostrum apostolicum privilegium per te a nobis statutum temerario ausu agere praesumpserit, sciat se anathematis vinculo innodatum et a regno Dei alienus existat; qui autem huius custos et observator extiterit, benedictionem et gratiam a Domino consequatur.

1) 'hominum' 1.

2) 'huius modi' 2. 3.

3) 'inter dictum' 1. 2. 3.